

*ratione consiliove hac facta sit editio scribit: Accentus praecipuos b. e. qui sententiam in membra & subdistinctiones dividunt, non omisimus: reliquos vero veluti parergos negleximus. Praesertim cum Judaei ipsi fateantur propter peccata sua ignorare vires particulares Accentuum. De quo vide si libet R. Calonymum in lib. quem de Accentibus inscripsit, & adjectus est Grammatica Abrah. de Palmis. Sunt autem Majores illi ex Münsteri sententia, ferme seqq. Soph. Pasuck Sillucko destitutus, Arnach, Segolta, Sakephkaton, Rebhia; omisso in metricis Merca Mahpachato, qui major est Athnacho; & in prosaicis Sakephgadol ac Tiphcha, Rebhiam superantibus. Sed quum Accentus hebr. non tantum inserviant definiendis sententiarum ac periodorum spatiis, verum insimul determinent per vocum conjunctiones & distinctiones casus in nominibus, personas in verbis & genuinas suffixorum particularumque significationes, facile apparet quod sit disparissima interpunctionis graecorum, latinorumque ac hebr. ratio, ut hac cum illa commode satis comparari non possit. Illorum enim interstinctiones ad sententiarum spatia definienda sunt adinventæ. Neque sine causa ministri sive signa conjunctiva iisdem quoque addita putamus, cum dicente B. Pfeiff. Crit. S. p. 95. id factum tum majoris evidentia causa, tum ut ex peculiari ministro de absente certas ob causas Domino judicari queat. vid. & conf. quæ simili in arg. de geminata vocalium figura adversus Capell. monuit Buxt. in de punctis tr. c. 14. part. 1. p. 200. & vener. Præceptor noster Danzius. Gr. Ebr. §. 6. p. 40. ff. in not. (p) & in pr. de Schevate, absente vocalis indice, laudatus modo Buxt. c. 1, p. 215. ff. ut taceam, quod per toni indicium, plerique*